

ro, cum sine Authenticarum linguarum studio
 acquiri non possit, exploratissimae veritatis est,
 quod verbi minister, nec earum notitia, quoad
 sufficit, carere debeat, ne alienis tantum ocu-
 lis videre et genuinum scripturae sensum inda-
 gare cogatur. Genuinus scripturae sensus ve-
 ritates continet exhibetque coelestes; ergo has
 etiam ita cognitatas habeat necesse est, ut non
 tantum cum *πληροφορία* eas docere, sed eti-
 am contra adversariorum strophas tueri et ab
 objectionibus haud raro speciosis, easdem vin-
 dicare queat. Tit. I, 9. 11. Atque haec ita
 sunt necessaria, ut sine ejusmodi scientia The-
 ologi nomen non mereatur, qui verbi divini
 minister audit. Neque vero haec sola suffici-
 unt, sed quilibet aequus rerum aestimator fa-
 cile concesserit, per tam ad illa habitudinem
 obtineri non posse, nisi et aliis quibusdam dis-
 ciplinis, quas nunc commemorare nihil re-
 fert; imbuamur. Pauli saltem, divini illius
 gentium Apostoli, exemplo discimus, a per-
 sona ministri ecclesiastici minime esse alienum,
 didicisse fideliter artes, et veritatibus etiam na-
 turalibus, nec non scriptis gentilium, jure
 item ac consuetudine populorum non esse pla-
 ne inexpertem. Verum enim vero, omnium
 istorum scientia, quanta quanta, ubi sola fue-
 rit, non efficit verum Theologum, qualem
 ipsa scriptura desiderat. Nuda enim ac ste-
 rilis scientia inflatum reddit animum, fatente
 Apostolo I Cor VIII, 1. Ministrum autem
 eccle-